



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Zacharias Delphinus, & Ioan. Francis. Commendonus n. 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

bitauisse: non potuisse tamen non magnopere gaudere, quod post tot, tamque accuratas impugnationes non modo nihil de existimatione eius imminutum esset, sed probatior etiam, & conspectior integritas euassisset. Quapropter hoc nomine vehementer Patribus gratulari, cum Sanctitatem summi Pontificis, tum ipsos de Reformationis Concilio Cardinales, pariterque hortari, vt pergerent bono animo, quales hactenus præbuerant se, tales in futurum præstarent. Prouisum esse, ne quid amplius, à quo oppugnabantur, timerent, nunquam gratiam Sedis Apostolicæ, nunquam benignitatem desideraturos. *Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 8. nu. 28.*

Sedis Apost. gratiam eâ pollicetur.

4. A ZACHARIA DELPHINO, ET IOAN. FRAN. COMMENDONO *legatis etiam Apostolicis, quos circumire Ciuitates, Principesque Germaniæ, & ad Tridentinum Concilium Pontifex Pius IV. inuitare iusserat, mandataque addiderat protegenda, & quamplurimis locis collocanda Societatis, & illi quidem diligenter, summaque benignitate executi mandata rescripserunt, Aditas abs se quamplurimas Ciuitates, obitasque Prouincias, & perspectum quam strenuè, quamque feliciter IESUITÆ ubique laborent: nec apparere aliam commodiorem, vel conseruandi integra, vel recreandi perdita viam, quam si multorum Collegia disponantur; idque se sedulo curasse. Ita 2. Par. Hist. Soc. cit. lib. 5. n. 159.*

Iesuitæ feliciter, & strenuè laborantes.

Quanta ex Collegijs vtilitas?

AB EODEM COMMENDONO: *Qui secum in legatione sua per septentrionis Prouincias Lambertum nostrum circumduxerat, adiutore ad regendos familiæ mores, & in rebus Religionis, quas Hæretici in controuersiam reuocarent disceptatore utens; eique viro Lambertus, cunctaque eius familiæ usque eo sapientiam, sanctitatemque probauerat, vt laudibus eius plenam, & actionibus gratiarum Epistolam ad Lamium Commendonus dederit. Præ ceteris (ait) nunquam in celebrem se venisse locum, quo non multo ante præcurrisset fama, cum Legato, Iesuitam aduenire: sique nihil aliud, id certè lucrifactum, quod sit ostensum Hæreticis Catholicorum specimen Sacerdotum, ac Iesuitarum. Ita Ibidem lib. 5.*

Societas est Lambertus filio commendatus.

lib. 5. num. 178. Et postea n. 179. dicitur, quod rursus à legatione sua Commendonus Lambertum Moguntia reddidit, ipseque Coloniam profectus, Societatem Archiepiscopo, & Senatui enixè commendavit, affirmans, Nescire ipsos quantum haberent Thesaurum: & Romam scripsit, Ideo minus placuisse sibi Colonienfes, quod Societatem recipere, certumque ei domicilium, ac Templum tribuere cunctarentur: Sic socij, sic Societas commendabatur à Commendono.

Ut Thesaurus a fili-
manda.

Iterum in
Canisio
commen-
datur.

5. AB OTHONE TRUCHSESIO Cardinali Augustano, cuius in Societatem, & socios animi propensio vix credi potest: Nec omiti fas duxerim insignem eius aduersus Canisium nostrum pietatem. Ex Alsatia redeuntem exceptum Dilingæ non modo omni honore, ac benignitate tractavit, sed etiam voluit vel inuito manibus suis lauare pedes, & in eo Societatis. Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 2. num. 11.

Et in Lai-
nio Gene-
rali.

Mortuo Generali Lainio idem Cardinalis Augustanus cum exequijs honorificis honestavit, in ijsque quas ei apparatu magnifico celebravit Dilingæ Cenotaphium non pulla veste (vt mos est) sed purpurea insterni iussit: quod tanti viri memoriam (vt aiebat) non luctu, sed gaudio prosequi, æquum esset. Cumque laudationem funebrem adiici voluisset, vbi Orator finem dicendi fecit, protinus ipsemet Cardinalis è suo solo fari exorsus in magna ciuium frequentia, inter cetera, Verissima sunt (inquit) quæ commemoravit Orator, sed prætermisit haud pauca. Tria ergo superaddam, quæ gesta sunt mecum. Discessuro in Galliam cum equum generosum, atque percommodum ei obtulissem, perpelli bonus Pater vt vteretur, nunquam potuit, atque eius verba hæc erant: Equus quidem optimus est, sed pauperi aptus non est. Deinde cum à Paulo IV. in Cardinalium Collegium coaptandus, ad me adiit lacrymantibus oculis; instirique vt ad summum Pontificem intercederem, & nihil intentatum relinquerem. Quod si illi certum esset perstare in sententia, sibi quoque certum esse fugam arripere, atque abdere sese.

De quo
Pontifice
creando
agitur.

His postremo adiecit Cardinalis, de subita à Cardinalium Conclauis fuga, vbi inaudiit de summo honore sibi demandando quosdam agere.

Ita